B. N. C
FIRENZE
1158
12

1158-12

ORATIO
F·RANCISCI
BOCCHII

De laudibus Reginæ MARGARITAE *Auſtriæ*
PHILIPPI III. *Hiſpaniarum Regis vxoris.*



1972

FLORENTIAE,
Apud Bartholomæum Sermartellium, & Fratres.
MDCXII.

1158. 12

SERENISSIMAE
MARIAE MAGDALENAE
Auſtrię, Archiduci Etruriæ.

TRIBVISTI tu dolori tuo tantum, quantum res ipſa quærebat, & tua potiſſimùm dignitas flagitabat. Illuſtris tamen vita Sereniſſimæ ſororis tuæ fecit, vt eius mors variis de cauſis te commoueret minus, minusq; etiam læderet. Vocatu enim Dei Opt. Maximi tempore ipſo moram nullam intulit, quin præſtò ſe eſſe oſtenderet, animoq; libenti iuſſa etiam faceret. Præterea eò iam ventum erat, vt de præmiis multò magis, quàm de lacrimis cogitandum eſſe videretur. Hic autem dolor percuſſit te minus præcipuo quodammodo; cùm mors in Hiſpania contigerit, & tu eſſes in Italia; minus enim feriunt mala, quæ auribus percipimus, quàm ea, quæ oculis intuemur; vt tuis lacrimis ipſa rerum natura ad tuum commodum conſuluiſſe videatur. Tui neceſſarii tamen, & conſanguinei huic pio lacrimarũ muneri non defuerunt. Sed COSMVS Etruriæ Magnus Dux, vir tuus, vt ſuum impleret officiũ, potiſſimùm excubuit, nec tantũ omnes, ſed ſe ipſum quoque amoris magnitudine ſuperauit. Ea etenim ratione in hoc funere magnificentiſſimis exequiis dolorem ſuum honeſtauit; vt, cùm omnia conſideres, quæ in rei magnitudinem cadere poſſunt nihil om-

nino maius cogitari poſthac; nec honorificentius fieri poſſit. Et profectò quò fama ſummarum virtutum Sereniſſimæ ſororis tuæ ſe extendit, eodem tam multis rebus, eiſq; eximiis dolor acerbiſſimus peruenit. Ego autem ſtimulis ſedulitatis incitatus, ſecutus morem noſtræ ciuitatis, quæ viros principes benè de Chriſtiana Repub. meritos celebrare ſolet, has lucubrationes collegi, tibiq; orationis nomine dicaui. Curatum eſt à me, vt ſit veritati congruens, & quàm maximè tuæ voluntati, quæ id quàm maximè dilexit ſemper, potiſſimùm reſpondeat. Id ipſum ſi aſſequor, omnia planè me eſſe aſſecutum arbitrabor. Vale. Flor. IIII. Nonas April. CIↃ DCXII.

Franciſcus Bocchius celſitudini tuæ deditiſſimus.

ORATIO
DE LAVDIBVS MARGARITAE AVSTRIAE,

Regis Philippi III. Hiſpaniarum Vxoris.

REM grauem, multisq; lacrimis inuolutam hodie nobis caſus acerbiſſimus affert; hæc, quò fuit expectata minus, eò bonorum animos pupugit magis; magisq; etiam nos inſolentia cogitationis ſæuiſſimæ commouit. Facta eſt iactura veræ probitatis, veræq; etiam virtutis; orbatus eſt terrarum orbis magnis præſidiis, ſimulatq; Sereniſs. MARGARITA, Regina Hiſpaniæ morte repentina erepta nobis eſt: quæ matrimonio viro ampliſſimo, ſummo Regi ſociata curas eius ampliſſimas imminuere, & ſubleuare ſua ſapientia conſueuerat. Hoc nomine tota Hiſpania luget; mœret eius Regia cohors, affinitas omnis ſe afflictat, & quoquò ſe conuertit, vis lacrimarum, & doloris maxima occurrit. Res grauis ſine præſidio, luctus ingens ſine ſolatio, miſeriæ ſine ſalute probatiſſimos homines duris cogitationibus afficiunt. En quò noſtra ſpes redacta eſt, quibus præſidiis inhæret, quibus ſe viribus ſuſtentat? Sed dabitur alias aliquid lacrimis, dabitur luctui, dabitur mœrori: Nunc verò, vt res poſtulat, & meæ dicendi partes præcipuè requirunt, noſtrum nos munus perſequamur. Vt placet viris grauiſſimis, non ſine prouidentia diuini numinis factum eſt, vt familia Auſtria ius tituli Imperialis diutius tenuerit, ſummæq; dignitati per annos amplius trecentos honorificentiſſimè præfuerit. Narrantur res geſtæ rerum optimarum; numerantur merita, quibus de Chriſtiana Repub. hæc gens peregregia varijs temporibus benè merita eſt: ſed illud maximè perhibendum, atque omni laude efferendum, quo ſe extulit, ſummæ pietati, & religioni ſanctiſſimè acceptum refert. Omni pænè tempore dedita fuit Sanctæ Eccleſiæ hæc domus Auſtria; eius dignitatem ſuis in regionibus vehementer auxit; Deum coluit, quàm potuit maximè, ſummeq; etiam reuerenter. Ab eodem magnis honoribus aucta cunctis in locis facilè teſtatur, quàm copiosè piis homi-

hominibus, qui ſibi inſeruiunt, gratiam referat. Quanta illa ſunt merita, ſimulatq; ab aduerſariis bellum exarſit, quoties fuit opus, arma capere è veſtigio, nefariis hominibus reſiſtere, obuiam ſe venientibus opponere, pro Chriſtiana Repub. audacter bellum gerere, & fortiſſimè præliari? Nominis ſui ſplendore ſuis terrarum finibus non contenta in omnes partes ſe extendit; quanta virtute prædita ſit, vbiq; res ipſa glorioſis vocibus fatetur: quàm ſit magno in honore apud omnes, ampliſsimis rebus geſtis planum factum eſt. Irrupturis in noſtras regiones Turcarum armis omnino patuiſſent aditus; teterrimę gentis res nulla vim fregiſſet, niſi hæc gens ſalutaris, & Deo dilecta tempore ipſo ſe obieciſſet. Hæc ipſa perennis laus, conteſtataq; virtus quanti eſt, quàm admirabilis, quàm prædicanda? Nullius peruenit ad aures, mihi credite, quin ei multum tribuat, quin admiretur, quin ſalutarem iuſtis de cauſis exiſtimet; quæ celebrata omnium literis, & linguis peragrauit omnes terras, & quò fama hominum peruenire potuit, eodem laus virtutis admirabilis peruaſit. Fuit ei, quod ſummum eſt, præcipuè in optatis, vt Maximorum Pontificum voluntati audiens eſſet; eorum dignitatem diligeret, & coleret: præterea animi ſui magnitudine Sanctæ Eccleſię gregales ſuos obtemperantes efficeret. Ab iis ſuorum clariſſimis virtutibus progreſſa mulier eximia, habuit copioſiſsimè, quo ſe ornaret, quò ſe exerceret, & ſuum ſe ad arbitrium excoleret. Sua ſponte igitur imitata eſt probitatem, mores illuſtriſſimos expreſſit, & vt ſe genitam nobiliſſimo ſanguine teſtaretur, glorioſe ſe ipſam auitis virtutibus ornauit. Nata eſt Margarita Sereniſſimis ex genitoribus, Carolo, & Maria; quæ ſingulari virtute prædita ſimulatq; in lucem edita eſt, quanti futura eſſet, ſigna dedit, & quã ſpem afferret, mirabiliter oſtendit. Nutrita eſt igitur ſanctiſsimis moribus: aſſueuit primis temporibus res diuinas intueri, mentis munditia Deum diligere, atque eius maieſtatem venerari. Quando ſapere cępit, multò ſe ſe extulit altius, quàm illa ætas ferre conſueuit. Nobilibus virtutibus inſtituta vſquequaq; ſe communiuit, vt nulla eam leuitas attingeret; nulla cupiditas deprauati animi offenderet, nulla cogitatio à ſanctiſſimis inſtitutis ſemoueret. Dum hæc huius ſæculi inſolentia debachatur, vt innocentiam expugnet, dum furenter exurgit, vt firmitatem animi euertat, quàm ſapienter contra tam magna mala mulier hæc prudentiſſima contendit, quàm fortiter deprauatis moribus obuiam iit? quàm honeſtè non modo à crimine, verum etiam à ſuſpicione criminis ſe præſtitit inuictã? Magnum munus, ingens opus, memorabile robur, patientia cunctis laudibus efferenda. Statuit illa firmo animo, vt ſanctè ſibi viueret, & Deo; quæ, vt ſibi conſtaret, &, quod erat propoſitum, aſſequeretur, res illa multas molita eſt: ſed valde tamen fuit illi cordi præter cetera, vt vim latinæ linguæ ſcienter ediſceret, & ſuos ſenſus latinis verbis ſedulò exprimeret. Longè, lateq;, vt cunctis exploratum eſt, latinæ linguæ ſe dignitas ex-

tendit:

tendit: cunctis in locis, grauiſſimis in rebus adhibetur; quò vis Euangelii præterea peruenit, eodem latinæ linguæ facultas glorioſè penetrauit. Vt iam omnes terras peragrata terrarum orbem ſuo ſplendore illuſtrarit. Huic rei hæc Regia mulier operam dedit, multumq;, vt commodè diſceret, elaborauit. Quod igitur erat in optatis, conſecuta eſt feliciter, vt loqueretur ſcienter, & ſcriberet, & libros ſanctorum virorum intelligeret, atque eorum ſenſus abditos cognoſceret. Expleri adhuc mente laudibus nequeunt Hiſpani; qui vt ſunt acerrimo ingenio ſua ſponte, omnia notant, omnia conſiderant, quòd hæc mulier egregia breuiſſimo tempore non ſolum loquentes Hiſpanicè benè intelligeret, ſed etiam optimè Hiſpanicè loqueretur. Hanc vim admirandam huic vni conceſſam adhuc Hiſpani laudare non deſiſtunt. Iam verò fuit munditia morum memorabilis, caſtimonia inſignis, prudentia ſingularis; totumq; ętatis tempus inuiolatum præſtitit, & integrum. Creuit virtus creſcente ętate, maioribus virtutibus facta eſt ardentior: euaſit fortior mẽs eximia, annosq; firmatos magis probitas firmior excipiens obeundis negotiis facile oſtendit, nihil ei eſſe arduum, dum diuinis præceptis audiens eſſet, ſuumq; ad diuinam voluntatem animum conformaret. Admirabilis virtutum cohors inter ſe ſanctiſſimè conſpirans, & conſentiens vitam ei, vt videre licuit, admirabilem conflatat: quæ cùm cogitaret aliquando fieri poſſe, vt multis ſua mens ſaluti eſſet, tam multis eam, eiſq; præclaris moribus expoliuit, vt quid vis oneris ſuſcipere, atq; expectationi vel maximæ poſſet reſpondere. Præclaras cogitationes, quas alii ad ſuum arbitrium partiuntur impunè, ad ſuam animi ſui ſalutem omnes hęc mulier egregia exercuit. Non res huius ſæculi caducas, ſed diuinas futuræ vitæ conſiderabat; applicarat ſe animo ſpes illa inſignis, quæ cunctos labores ſuperat, & vincit, quæ ad æterna præmia inuitat, & ſempiternę gloriæ mirabilibus modis comporem facit. Quàm ſe prudenter à vitiis inſultantibus defendit, quàm propulſauit cautè, quàm fortiter oppreſſit? Eò iam in ſingulari virtute, atque abſoluta progreſſa erat, vt mori cuperet potius, quàm morum integritatem deformare, munditiam animi polluere; caſtiſſimo enim pectore vis virtutum mirabilium adhæſerat; pręcipuo quodam modo admiranda ſocietas rerum clariſſimarum animo conſtiterat, vt ſi quid in eius mentem deprauatæ cogitationis inueheretur, concideret ſua ſponte, & de repente victa euaneſceret. Mulier natura mitis, & clemens quanti eſſet, ſui aduentus initio in Hiſpaniam facilè oſtendit, dum, ne cui noceretur, pati non potuit. Increbuerat vſus horribilium venationum apud Hiſpanos; quibus in ſpectaculis cùm homines nimis congiariorum appetentes feroces tauros ferire nituntur, ſublati in cornibus aut crudeliter interibant, aut grauiter vulnerati diſcedebant. Conſtabat crudelis delectatio permulto hominum ſanguine, nec, qui remedium adhiberet, reperiebatur. Curauit igitur hæc clementiſsima mulier,

ne mos

nemos tam depravatus diutius inveteraſceret, ſed, vt factum eſt, primo quoque tempore auferretur Hic fuit, vt audiſtis, introitus grauiſſimus ad mores, & ad vitã: traducta eſt ętas ſingulari cũ dignitate; ea probitatis, & virtutis iacta ſunt fundamenta primis tẽporibus, vt progreſſus niſi eximius, exitus niſi egregius expectari non poſſe videretur. Præclara ſtirps; & mirabiliter inſignis, extulit ſuo tempore fructus vberes, & nobiles; quibus & multis profuit mortalibus, & ſuam familiam laudibus ampliſſimis affecit. Cohors igitur illa mirabilium virtutum nec ab ea diſceſſit vmquam, & vadentem per viam gloriæ ad opus omnium maximè egregium perpetuò incitauit. Erant ſigna plurimarum virtutum, ac nobilium in hac admirabili muliere, non adumbrata, ſed expreſſa; erant mores ſanctitati potiſſimum congruentes: flagrabant ſtudia veræ gloriæ præcipuo quodammodo: vt quicquid in eius animo inſpiceres, id ipſum omni ex parte cumulatum laude iudicares. Mirabantur, qui audiebant, ſtupebant, qui intererant; & dum rem grauiter intuerentur, vitam ipſam, tamquam exemplar ad imitandum ſibi propoſitum eſſe iudicabant. Suis in optatis maximè potuit, crebrò ſupplicationibus intereſſe ſacris in locis; rogare Deum, vt ſua in partienda gratia ſibi ſubueniret; vt vires tribueret, & fidem augeret, quibus diuinæ maieſtati inſeruiret ardentius, & cœleſtis præſidii particeps fieret commodius. Sacramentum igitur, quo mens a ſuſpicione vitiorum expiatur, frequentauit maximè. Principio, & primis pænè in annis, vt monebatur, frequens fuit, creſcente ætate, aucta ęſt pietas in muliere ſapientiſſima; octauo enim quoque die ſumere Sacramentum altaris demiſiſſimo animo conſueuit. In hoc opere ſanctiſſimo, quàm illa ſe ſanctiſsimè exercuit, quàm ſupplicauit humiliter, quàm Regios ornatus pro nihilo putauit? Res erat minimè vſitati exempli, cùm videres mulierem tantum probitatis ſpirantem, tantum dignitatis, ea moliri firmato animo, quę cunctis admirationem afferre poſſent. Sed quid mirũ, tantũ in ea probitatis extitiſſe? Habuit, vnde diſceret, viros maximè pios, & conſanguineos, qui religione, & probatiſſimis moribus omnium literis, & linguis celebrantur. Inter omnes Auſtrios lucet tamen præcipuo quodam modo Rodulphus ille vnius meriti ratione & cunctis in locis iure optimo perpetuis laudibus nominatur. Res ipſa, quam egit, & ſi notiſsima eſt, vt ſit tamen notior, erit minimè abſurdum Accidit igitur, vt ſui negotii gerendi cauſa Rodulphus extra vrbem iter faceret; caſu fit ei obuiam Sacerdos pedibus iter faciens, cùm ille equo veheretur: ferebat Sacerdos Sacramentum Eucharistiæ ad ægrotum, atque idcirco, vt adeſſet in tempore, properabat. Rodulphus accurrens, & ex equo deſiliens, ſubitò Sacramentũ genibus flexis adorauit, &, vt idem facerent comites, admonuit: illud memorabile dictitans, indignum eſſe, vt Sacerdos Dei altiſſimi pedibus ſuis, ſerui autem eius equorum pedibus ſuo commodo ambularent. Nulla igitur ſui ratione habita (caſu enim

In terra cœnoſa accidit ad genua) apprehenſo fræno equi (aſcenderat enim Sacerdos cum Sacramento) domum vſque ægroti demum perduxit. Sacerdos autem cùm honor tam magnus Sacramento tributus eſſet, agendis gratiis intentus equum domino voluit reſtituere; quem tamen ipſum Rodulphus recuſans non recepit, affirmans etiam, atq; etiam ab ratione abhorrere, vt illo equo quis vteretur amplius, qui Deum omnium dominum portaſſet, ſibiq; vt Sacerdos haberet, imperauit. Fama igitur tam nobilis rei cùm omnes iure optimo, tum eos quibus conferendi imperii ius eſt, ſubitò commouit, vt Rodulphum rectiſſimis ſuffragiis crearent Imperatorem. Quæ dignitas ab initio tantæ rei in Domo Auſtria manſit ad hoc vſque tempus, & manet. Sed mulier egregia expreſsit in ſe laudes ſuorum mirabiliter, atque admirata virtutem, familiæ gloriam illuſtrauit, atque auxit. Singularis illa animi pietas, quæ frequentare ſacra loca conſueuerat, quàm religioſè in eis, quàm ſanctè, quam puro corde diuinum numen venerari lætabatur? Efferri mirabiliter in cœlum, & dimittere res caducas quodam modo videbatur, quoties, vt puro animo adoraret, ſacris in templis morabatur. Non Reipub. occupatio, non cura filiorum, quos ſeptem reliquit, non cogitatio rerum humanarum impediebant, quò minus ſuam mentem diuinis præceptis expoliret, atque operam Dei voluntati demiſiſsimè nauaret. Eximius animus, contemplatione rerum cæleſtium inflammatus his rebus caducis conquieſcere non poterat; diuinas diſciplinas edoctus nihil, niſi Deùm, diuoſque omnes cogitabat; qui, cùm deprauati ſenſus obuerſarentur, conſtanti animo, & forti vim omnem teterrimi hoſtis propulſabat. Ardebat caritate, vt ſubleuaret egentes, vt foueret afflictos, vt deſtitutos ad ſpem erigeret; conſolabatur verbis, iuuabat opibus, ſuſtinebat conſilio; ſe ipſam, quibus rebus poterat, inflamabat, vt Deo ſuis in ſeruis inſeruiret. ſanctiſsimiſq; miniſteriis bonorum virorum animos acquireret: hæc cura habebat eam tam ſollicitam, vt ſui ipſius videretur obliuiſci, vt non donis afficere quemquam, ſed ſuum animum effundere benignè faciendo putaretur. Pupillis, & viduis ſumma pietate maximè conſuluit: curauit enim non ſolum vt benignè exciperet, ſed vt euntibus ad Philippum, virum ſuum, ſemper pateret aditus: eorum poſtulatis præbuit aures patienter: quo pacto ab omnibus deſtituti ſe ſe gererent admonuit: & ne deficerent animo, apud Regem admirabili artificio adiuuit. O mulierem tam ſummis in rebus cunctis omnino viris patientia fortiorem? O animum ceteris omnibus admirabili magnanimitate largiorem? Mirentur alii terrenas diuitias; leuibus voluptatibus ſe oblectent; honoribus, & laudibus ſe exornent: dum liceat conſtantiſsimæ mulieri in ſua modeſtia lætari, conculcatis vitiis demiſiſ-

ſimè:exultare, atque expectatione interea æterni pręmii gaudere. Habeat ſibi Roma ſuas Virginias, habeat Portias, glorietur in Veſtalibus, tam multas enim mulieres mirabilium virtutum ex noſtris opponemus, vt priſcam ætatem vanitatis ſuæ pudeat, & genti noſtrę palmam libenti animo concedat. Quantũ autem laboris pertulit, quantum ſollicitudinis exhauſit, vt faceret iuſſa Noſtri Saluatoris, vt diuinis præceptis obediret? Simulatq; in poſſeſsionem probitatis pedem poſuit, quàm animo firmato exarſit ad laudes ſanctitatis, quàm mente ſublimi ſe ſe extulit, quàm moribus egregiis ſe totam roborauit? Dies nulla erat, in qua ſacrata templa non viſeret, opus eximium non conficeret, oppreſſos egeſtate non ſubleuaret: qua in re non pepercit laboribus, pecunias pietatis cauſa effudit, & ne diuino in obſequio deeſſet aliquid, in ſumma liberalitate nihil ſibi reliqui omnino fecit. Iam verò dum commearet nuptum, atque iter faceret Hiſpaniam verſus, ab iis, qui erant in comitatu, ſolebat ſcitari diligenter, ecquis locus miraculis inſignis ſanctorum, & MARIAE Virginis præſertim coleretur, vt eò precandi cauſa adiret. Quo inuento, nulla interpoſita mora, ad eum ſe deferri ſtatim imperabat. In eo quàm illa ſuſpirans demiſsè ſupplicauit? quàm animo ſincero adorauit? quam ſanctè Noſtri Saluatoris numini ſe commendauit? ita ſe mente egregia efferebat, vt cum Deo loqui videretur: ita ſe inflammabat in petendo, vt intereſſe choris Angelicis putares: Erat enim cogitatione ſublimis, patientia admirabilis, firmitate cunctis in rebus veneranda: vt, quocumque te conuerteres, in ea miros amores ſanctiſsimis in rebus quotidie inſpiceres. Quis verò dubitat aſcitis in ſuum animum claris virtutibus, optimiſq; ad vitam exornandam comparatis moribus, quin à muliere ſapientiſsima aſcenſus ad virtutes mirabiles his gradibus fuerit inſtitutus? quin icto cum Deo fœdere ad hoſtem tartareum debellandum ſanctiſsimè conſentiret? nihil moleſtiæ recuſans, res cunctas, quę hominibus huius ſæculi caræ ſunt, pro nihilo ſemper putauit, & vt piè dederet ſe Dei voluntati, nihil reliquit intentatum; cæleſtibus etiam pręceptis ſanctiſsimè obediuit, & ſe ad futura præmia, quæ diuinitus promittuntur, comparauit. Contrà verò præpoſterè à nobis agitur, & peruersè; cupimus diuinis pręmiis augeri, & Dei voces recuſamus audire; quæ nos vt has carnis exuuias exuamus libenter, ſæpiſsimè inuitant; vt regnum cælorum adueniat, optamus; hic tamen in hoc ſeculo reſtitantes moramur; cupimus cæleſtibus diuitiis frui, & ad eum, qui nos tam ſummis bonis donaturus eſt, progredimur inuiti? minimè tamen hæc mulier inſignis hoc pacto ſe ſe geſſit: quæ nullum terrorem reformidans crudeliſsimi hoſtis fregit inſidias, nec eius minis vllo tempore ſuccubuit;

ſed

ſed victrix ad extremum triumphum etiam de morte, vt eſt pænè omnium opinio, ad cœlum deportauit. Hominum miſerorum egeſtates ita mollire eius animum ſolitæ erant, vt nec rogantium cupiditatem, nec preces (qua lenitate erat mentis) poſſet ſuſtinere; cauſę enim æquitatis numquam eſt aduerſata natura; ſimul atque de miſeriis auditum eſt, è veſtigio mollitus eſt animus, & ad ſubleuandas ærumnas humaniter, & piè ſe conuertit. Vita ipſa ab verbis numquam diſſenſit; oratio ab opere numquam abhorruit; curauit ſemper, vt re impleret, quod verbis docuerat; vt factis confirmaret, quod lingua oſtenderat; id ipſum perperuò ſpectans, quod Deo præmonente didicerat; qui fecerit ſanctiſſimè, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cælorum. Minimè hæc mulier vt aerem verberans, ſed vim ſalutis animo comprehendens, quàm ſcitè, quàm ſapienter non verbis tantum, ſed factis ſibi cauit, quàm accuratè Deum iter præmoſtrantem ſecuta eſt, vt terrenis calcatis diuitiis ad cæleſtes diuitias tandem perueniret? Hæc mulier inſignis quo ingenio, qua induſtria ad ſummam virtutem ſemper ſe exercuit? qua magnitudine animi, qua grauitate cunctos ætatis ſuæ annos piè, & grauiter traduxit? vt, cùm omnes boni tam multa ornamenta perſpicerent, atque ea ad vnam vim virtutis conuerſa eſſe intuerentur, fieri nequaquam poſſe iudicabant, quin commodum, quo fruerentur omnes, aliquando ſequeretur, quod animos omnium lętitia afficeret. Eo animi robore ſe munierat à primis temporibus ætatis, vt lectiſſimorum hominum, & grauiſſimorum iudicium eius ſumma virtus non vereretur; conſtantia præterea tam ſingulari ſe ornarat, vt quicquid ageret, vel ſuis inimicis probare poſſe putaretur. Ecquis eſt enim, qui conatus, atque animi impetus egregios non probet, qui vitam, & mores non dilaudet, qui probitatem non admiretur? Ea profectò vis virtutis eſt, vt, vbicumq; ſit, obſcura eſſe non poſſit; ad excitandam beneuolentiam valet illa vehementer, vt huic mulieri egregiæ contigit; commouet, quoties opus eſt, incendit, & inflammat, animumq; generoſum in ſuo opere non ſinit conquieſcere. Minime fieri poteſt, vt de ſumma ſapientia clariſſimę mulieris dubitetur; quam ab inconſtantia grauitas, à cupiditate moderatio, à libidine caſtitas ita diſiungit, vt quam natura pręcipuam agnoſcis, artificio, & doctrina admirabilem reperias. Neque enim auctoritatis tantum præ ſe ferret, niſi firmiſsimis ingenii, & ſanctitatis radicibus niteretur; quam ſummi viri ita probare ſoliti ſunt, vt eam tamquam virtutis exemplar intueri, & laudare veris laudibus non deſiſtant. Quod re ipſa probatum eſt, fuit hæc mulier egregia ſingularis vigilantiæ; excubuit maximè, vt ſanctam Dei Eccleſiam Catholicam ſartam, & tectam conſeruaret, aut potius, quo ad eius

fieri poſſet, augeret. Hoc nomine cùm in Germania ſerperet vitium deprauatæ religionis, atque id manaret in dies latius, ne ita fieret maius, cui paulo poſt vix ſuccurri poſſet, ſtatuit tam magno malo nulla mora interpoſita obuiam ire. Permultos igitur iuuenes ſanctiſſimæ indolis è ſua patrias in Hiſpaniam euocauit; eosq; diuerſa in oppida ſparſit, atque vrbes; vt paulo poſt optimis diſciplinis eruditi domum Doctores remearent, fideiq; Catholicæ locupletandę cauſa doctrinis, & moribus prodeſſent. Magnas his rebus agendis ſuſtinuit impenſas, tulit labores magnos, vt ſummæ expectationi tam glorioſum opus reſponderet. Frænata eſt enim hoc pacto exiguo tempore temeritatis teterrimæ inſania. O cogitationes Regias, iureq; optimo cunctis laudibus efferendas? O mentem vſquequaque religionis ſanctiſſimæ firmiſſimam? Non labor, non impenſa, moleſtia denique nulla remorata eſt, quo minus Catholicę fidei inſeruiret, conſiliiſque optimis iuuaret. Peregregiè præſtitit, & ſanctiſſimè, vt videtis, cunctos ætatis gradus, vt non ſolum errati ſuſpicionem maximè caueret, ſed vt vim virtutis tractandis optimis moribus exprimeret. Iam verò cui vmquam contigit, vt videret ingenium in muliere clariſſimis, & nobiliſſimis ex virtutibus tam mirabiliter conflatum? mentem tam ſumma pietate cuſtoditam? animum ſpectantem ſemper alta, & tam excelſum? Fuit præter cetera mirandum maximè, cùm omnes iure optimo propter dignitatem anteiret, ſummoq; imperiò potiretur, infimis tamen vt eſſet par ſua ſponte, & ęqualis. Pluribus verbis laborant multi, vt hominibus, quod volunt, perſuadeant; nituntur alii vita, & exemplo, quibus res admirabiles efficiant: valuit verbis mulier inſignis, valuit eloquentia, ſed tamen moribus, & exemplo fuit præter cetera admirabilis; potuit hæc tantopere, tam inſigniter, vt Pater Caſtroviridis (quem Hiſpani propter inſignem eloquētiam ſacris in concionibus alterum Demoſthenem appellant) hanc Reginam ſapientiſſimam laudare nòn deſtiterit. Hic audacter affirmare auſus eſt perſæpe, multò eſſe paruo tempore apud omnes profectum magis huius mulieris exemplo, & præclaris moribus, quàm ſuis concionibus annis quadraginta. O mulieris in omni genere admirabilem virtutem? O liberalitatem inſignem, & nullis antea ſeculis auditam? Ideonè has terras, dum viueres, tuo ſplendore illuſtraſti, vt eaſdem tua morte perpetuis tenebris inuolueres? ideo ſumma bona nobis polliciti ſumus, vt ſpem omnem caſus repentinus ſubitò euerteret? Res illæ in hac muliere mirabiles fuere, comprehendere ſua benignitate egeſtates omnium, fouere liberalitate, ſeruire bonorum commodis, res humanas ſic intueri, vt à ſe nihil alienum exiſtimaret. Humanitate, & beneuolentia inuitabat egentes, vt id, quo ſibi opus

eſſet

eſſet, à ſe peterent; quo in negotio illud fuit maximè mirandum, cum videres mulierem maximæ dignitatis cum miſeris iucundè, cum triſtibus hilariter, cum demiſsis comiter, cum prudentibus ſapienter ſe ſegerere. In vſum admirabilis vitæ ſtatuit illa ſibi probatiſſimos mores, virtutes lectiſsimas; quibus dum ſapientiæ, & ſanctitatis radicibus innititur, & Dei Opt. Max. voluntati adhæſit mirabiliter, atque opus omnium maximum, & ſanctiſſimum concluſit. Vbi ſunt leuitates, quibus hoc mulierum genus ſingulis pænè horis tentari ſolet? vbi cupiditates, quibus vel viri fortes ſæpiſsimè ſuccumbunt? vbi cogitationes importunæ, quibus præter quam valde pauci reſiſtunt? Et profectò vt tenebræ adueniente Sole euaneſcunt, ita deprauati animi ſanctiſſimis prodeuntibus motibus aufugiunt. Non dum excreuerat ętas, cùm in ea florere vis virtutis viſa eſt; nondum ſe cor roborauerat, & præſto iam erat ſapientia, quæ & ſimplicitatem communiret, & probitatem ita confirmaret, vt ad infringendas tam magnas virtutes res nulla poſſet aſpirare. Indicabat oratio, dum numen diuinum ſanctiſsimè adorat, quàm in hac militia vitiorum, & virtutum fortis eſſet: teſtis erat vehemens contentio, dum contra commu nem hoſtem conſtantiſſimè luctatur; in ſufferendis laboribus oſtendebat incredibilis patientia, quàm valde rerum cęleſtium ſtudio teneretur, cùm caducas, & terrenas præſenti maximè animo conculcaret. Nonne permagna res eſt, quòd mulier in maxima rerum copia nata, ſua ſe ſponte optatiſſimis commodis priuaret, appetitus nimios reſpueret, vt in animi ſimplicitate conquieſceret? opprimeret inſolentiam, vt pietatem complecteretur; exueret leuitatem, vt IESVM CHRISTVM ſanctiſſimè indueret? Neque id ipſum verbis tantùm ſenſit, ſed ita re ipſa præſtitit, vt ad tuendam famam tam magnæ virtutis nihil ſit nobilius, nec illuſtrius. Mens firma, quæ Deo ſe ſe addixit, non terretur doloribus, non laboribus frangitur; ſed præceptis ſanctiſſimis munita, ſua ſponte moleſtias fert, cruciatus exorbet, & quoties vis ærumnarum crudeliter inſultat, mortis terroribus ſe offert, & dummodo diuinæ voluntati ſatisfaciat, patienter omnia ſuſtinet, omnia ꝑpetitur. Quid illud? nonnè mirabiliter olet, vnde ſit? cùm cogitaret animo, vt haberet perpetuò, quo ſe magis ad opus pietatis, & religionis exerceret, nonne à fundamentis Monaſterium in Hiſpania excitauit? vbi Virgines ſupplicibus precibus adorarent, & Deum nobis propitium efficerent? Peregit opus nauiter ſplendidis rebus, & ſanctiſsimis; tribuit, quo ſe alerent; ornauit templū picturis nobiliſsimis, & egregiis, petitis tabulis pulcherrimis ex noſtra vſque ciuitate. Quid amplius quæritis, viri honeſtiſsimi? hæc ſancta Virginum ſocietas, quæ à nudis pedibus Scalzæ appellantur,

tur omnino Chriſti bonus odor eſt; id ipſum ſapere eſt; id ipſum res heroicas tractare; & quò vnuſquiſque peruenire deſiderat, iter ſibi, ad cœlum ſapientiſsimè moliri. Contigit ne vmquam, vt aliquis extiterit, qui probatiſsimam mulierem aut inſimularit leuitatis, aut modeſtiam in ea requiſierit, aut inconſtantiam improbarit? quæ ſem per cunctis in rebus tantum præſtitit grauitatis, tam valde dignitati, quæ maxima fuit, moderata eſt, tam conſtanti animo ſemper fuit, vt nec grauior, nec modeſtior, nec conſtantior mulier vlla poſſet reperiri. Erit fortaſſe aliquis, qui ſe ab ea læſum eſſe doleat; non re, non verbo, non vultu quemquam offendit vmquam; quinimo, ſi quid ſibi moleſtiarum exhibitum eſſet, & conniuere liberaliter, atque offenſionem cum caritate. & patienter exorbere conſueuerat. More hominum grauium hæc mulier ſapiens, & timens Deum, omni tempore ſe ſe geſſit; illi, cùm propenſionem in ſe viri principis aucupari volunt, eius miniſtros colunt, & aſſeclas; vt, quò peruenire volunt, adi tum ſibi parant, & facultatem; eodem pacto illa homines ſacros coluit, & pios, vt per eos viam ſibi ad cœlum patefaceret. Id ipſum quàm egregiè adepta ſit, & quàm, vt voluerit, appoſitè præſtiterit, eiuſde n vita, & mores planiſſimè teſtantur; nulla cogitatio leuioris culpæ, nulla criminis hæſitatio adhæſit vmquam, quin è veſtigio piis hominibus audientibus ſe expiaret per eos, & Dei gratiam omnipotentis lucraretur. In qua re curauit tam ſtudioſè, vt Deo ſe gratificaretur, ſummaq; cum munditia nauaret operam, vt quod aliis arduum eſſet, illa illaborato labore feliciter conficeret. Verè fuit primis annis ætatis mirum exemplar religionis, & pietatis; dum annis augetur, aucta eſt in Deum propenſio; facta eſt virtus nobilior, & generoſior: ſimul, atque, quanti eſſet, mulier ſapientiſſima cognouit. Suis in deliciis oratoria, ſanctorum virorum imagines, & ſacra volumina nominantur; in huiuſmodi rebus commorabatur libenter, & vt ſe ipſa frueretur, & Deo, ceteris rebus neglectis, ſatagebat. Homines conditionis infimæ ſumma cum modeſtia, & lenitate excepit ſem per; numquam defuit, quin miſeris, & deſtitutis benignè faceret, & liberaliter: nec contigit vmquam, vt ſplēdor familiæ oculorum aciem perſtringeret; nec vt ſuæ benignitatis demiſſio in ſubleuandis hominum ærumnis quaſi luminibus generis officeret. Tam multis bonis igitur, ſanctiſſimiſque moribus conſolari te potes hic Sereniſſima ſoror, cùm tua à te ſapientia poſtulet, vt abſterſis lacrimis mentem ad ſpem rerum optimarum erigas; quàm ſit magna tua virtus, quàm ſingularis, quàm eximia, & ſermone omnium accepimus, & tractandis tuorum laudibus planè didicimus. Quò enim magis ſapis, eò minus apud te erratis locus eſt. Et profecto vitā ſine crimine, mores ſi-

ae ſuſpicione criminis dum intuemur, nonne ceteras cum his inter ſe congruentes virtutes arbitramur? Nonne quicquid egeris, quicquid cogitaueris, perfectum, atque abſolutum omni ex parte maximè perſpicimus? Vt modum facias lacrimis, quas multas profudiſti, petit tua ſapientia inſignis, petit germanitas, petit ſumma in ſororem pietas; dignitas etiam, quæ in te maxima eſt, vt ea perpetuò ſpectes, quæ promittuntur diuinitus, & de æternis præmiis cogites, omnino flagitat. Satis ei, vt res quærebat, dediſti lacrimarum; ſatis, vt ſe expleret, dolori tribuiſti; nunc verò vt Dei Opt. Max. mentem æquo animo contemplere, & probes, & vita anteacta ſororis, & mores eximii potiſſimùm requirunt. Animi pietatem prudentiſſimæ Reginæ nulla temporis diuturnitas obruet: propenſionem animi in Deum nulla delebit obliuio; morum ſanctitatem nulla hominum obſcurabit iniquitas; ita enim cogitationes ſapientiſſimę mulieris notatę ſũt & conſignatę, vt quantum longitudo temporis imminuet, tantumdem quotidie fama rerum optimarum ſit amplior futura. Hęc eſt illa, quæ tartareos hoſtes ſumma animi firmitate ſuperauit: hæc eſt illa, quæ, vt eſſet gratioſa apud Deum, quicquid potuit egentibus pietate impellente impertiuit: hęc eſt illa, quę cùm dignitate reliquos mortales anteiret, infimis tamen, cunctis ſtupentibus, demiſſiſſimè ſe æquauit. Animi conſtantiam ad extremum vſque ſpiritum retinuit, atq; ad ſuorum memoriam conſeruauit; eis enim, qui ſibi inſeruierant, vel interruptis vocibus & morientibus conſuluit; erumpentibus lacrimis affictabant ſe, qui aderant: hæc autem morti ſuos ſenſus ad prælium forti animo offerebat; vis morbi acerbiſſima doloris faces admouebat; ipſa verò tranſitum vitæ, cœleſtes diuitias meditabatur. Me miſerum, tantum virtutis à nobis perpetuò deſiderabitur? tantum dignitatis, decoris niſi inanibus tantum vocibus memorabitur? O nos omni ſolatio deſtitutos? ſi erit omni tempore dignitate mulieris Sereniſſimæ carendum? Huccine ſpes blanda noſtros animos deduxit, vt extinctis lætitiis perpetuo mœrore vitã banc miſeram humana fragilitas obrueret? Hęc Regia cohors, quæ cuncta loca hilarare conſueuerat, atratis veſtibus induta, quam valde à ſe ipſa mutata eſt, quàm alia facta eſt, quã nunc eſt ſui maximè diſſimilis? Hoc ipſum templum tam multis illuſtratum funalibus obſcurata ſua pulchritudine nonne auget mœrorem, & pęnè ab inuitis nũc lacrimas extorquet? Tu itidem Rex Philippe, te abſentem appello, qui orbem terrarum non ſine Dei Opt. Max. prouidentia feliciter gubernas, tam repentino coniugis tuæ interitu perculſus, & ſi inuicto robore animi pręditus es, tanti tamen vulneris vim ſentire iam cœpiſti; ſed vt virum decet fortiſſimum, animo nequaquam tibi dees,

virũ

vim tuæ uirtutis fortiter excitas, tuumq; imperium p[ro] ſua magnitu-
dine laborans ira regis, & ſuſtines, vt iam fractus dolor virtuti ſuc-
cumbat, & ſe ipſum penitus abiiciat. Hic qui rem pependit, Deum
ipſum aſſiduè precatur, vt [illegible] vires perpetuò ſuppeditet, mærorem
extinguat, lacrimas abſtergat; vt cùm tuo patrocinio diuinitus Chri-
ſtiana Reſpub. ſe ſe tradiderit, precibus noſtris pro ſua pietate tribu-
at, vt diutius ſis ſaluus, ſis incolum[is] [ac] pro tua dignitate rerum tan-
tarum magnitudinem gubernes. Nunc te vnum, mitiſſime Deus,
optimus quiſque intuetur, opem requirit, fidem obteſtatur, miſericor-
diam implorat, &, vt rebus, quę ſurſum deorſum feruntur volubili-
ter ſubuenias in tempore, demiſſiſſimè [pr]ecatur; quantopere tibi re-
rum humanarum conditio cordi fuerit, per annos trecentos do-
minatu familiæ Auſtrię oſtendiſti: Hæc nunc noſtra ciui
tas & ſi multis ſe lacrimis affl[i]ctat, dum tuam tamen
clementiam ſpectat, patrocinium tuum de ſua
ſalute non deſperat, & ſibi ipſi hoc pacto
ſalutariter conſulens in hac cogita-
tione ęquo animo con-
quieſcit.

DIXI

99 962717

Digitized by Google